DE INSIGNIBVS GENTILITIIS AVGVSTISSIMAE AVSTRIACAE FAMILIAE,

Diſſertatio.

AD SERENISSIMAM AVSTRIAE ARCHIDVCISSAM MAGNAM HERTVRIAE DVCISSAM.

Auctore IVLIO CAESARE Bulengero in Academia Piſana Humanitatis Doctori.

PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M.DC.XVII.

Superiorum permiſſu.

GRIPHUS.

Candidus hic rubeũ dirimit qui baltheus orbẽ
Zodiaci in terris quam bene munus obit.
Sol & Luna per hunc currũt, vitãq; miniſtrãt,
Et varios anni dant, rapiuntque dies.
Diſſimile hoc ſolũ eſt, ſuperi q̃ ſignifer orbis.
Monſtra vias ſolis per duodena regit.
Candidus at rubeum qui ſcindit baltheus orbẽ,
Nulla fouet ſpatijs, Cynthie, monſtra tuis.

BKZ 1161 17

DE INSIGNIBVS GENTILITIIS AVGVSTISSIMAE AVSTRIACAE FAMILIAE

Diſſertatio.

AD SERENISSIMAM AVSTRIAE ARCHIDVCISSAM MAGNAM HETRVRIAE DVCISSAM.

NAturæ curioſi turturibus id eſſe ingenij aſſerũt vt coniunctim mas, & femina volent, & fidũ ſibi comitatum pares in amore faciant, à quibus hoc olim Teutonas in ſuos mores traduxiſſe Tacitus ſcribit, vt viri ſemel cum nupta tranſigerent, cum qua ſeneſcendum eſſet, neque a viro diuertere, neque poſt alterius obitum alteri nubere fas eſſet. Faxit Deus, Sereniſſima Princeps Cæſarei ſtemmatis propago, vt longum in hoc matrimonio quod feliciter tenes, viro ſuperſtite ſeneſcas, vel noua potius iuuenta vterque cottidie reuireſcatis. Quando igitur de Sereniſſimi magni Hetruriæ Ducis inſignibus hodie atque heri dixi, quia pari iugo inceditis, de Auguſtiſſimæ tuæ gẽtis inſignibus dicere aggredior, quod

à mul-

à multis ſæpe tentatum, à nemine quod ſciam pro dignitate ad hunc diem elaboratum eſt. Inſignia Gentilia Auguſtiſſimæ familiæ tuæ ſunt, vmbonis area rubens, quam argentea faſcia pro diademate mediam diuidit, alij baltheum, quidam virgam aut trabem, nonnulli limbum aut ſegmentum albicans eſſe volunt, quod inſtar diametri mediam aream ſecet, & à cardine ad cardinem recto ductu pertineat. Huius argumenti ſatum hunc, & originem P. Victorius vir clariſſimus eſſe putat; Cum Albertus Imperator Archidux Auſtriæ primus cum Adolpho iurato, & capitali hoſte ſingulari certamine congreſſus opima ſpolia retuliſſet, victoria vitulans, vt vidit ſe prêter vmbonem à vertice ad imos vngues hoſtili ſanguine perfuſum, & ſuo ipſius cruore madentem, ne tã præclari facinoris memoria tractu temporis quo omnia exoleſcunt intercideret, faſciam argenteam ſuis inſignibus dicauit; Rinaldus Curtius Iuriſconſultus nobilis, à P. Victorio diuerſus abit aitque Gilberto Auſtriaco id negotij à Cęſare datum, vt valida manu iura Eccleſiæ, quę paſſim a Barbaris & impijs obterebantur, protegeret, & iniuriam ferro compeſceret, Huic in quiete fęminam ſpecie humana maiorem graui, & venerabili vultu, aſtitiſſe; quæ trepidanti animos faceret, & ſe conatibus eius affuturã oſtenderet, Deinde candido cingulo præcinxiſſe, quod ei pro munimento foret. Gilbertum cum euigilaſſet omen accepiſſe, prælium ſumpſiſſe, viciſſe. Cum autem a capite ad calcem hoſtium ſanguine reſperſus eſſet, ea parte excepta, quam baltheus candidus operuerat, ad propagandam rei memoriam Zonam argenteam pro gentilitio ſtemmate ſibi aſciuiße. Doctiſſimus Lipſius rem aliunde repetit, & ab expeditione in Syriam religionis ergo arceſſit; Cum enim Ptolemais, (Aconem vocant) Syria oppidum in magni illius Saladini manus veniſſet, Leopoldus Auſtrię Dux, Lantgrauius, & Campanię Comes valido robore ad opem Chriſtianis, aduolarunt, vt vrbem Phœnicię principem hoſti eriperent. In tertium annũ obſidio extracta eſt. in qua Leopoldus inſigne virtutis ſpecimen edidit, ſuperatis vrbis mœnibus albo paludamento fulgens, quod totũ mox hoſtili ſanguine tinctũ eſt ea parte excepta quæ Baltheo tegebatur. Inde factum vt area rubicans cum faſcia mediam dirimente inſigne deinceps Auſtrijs eßet, Idque Henrici ſexti tum Imperatoris voluntate. Lazius ſcribit Auſtraſię regni iam olim hęc inſignia fuiße, quo deſidente Auſtrię Duces qui ab

ijs

ijs orti,retinuiſſe, ſicut & Comites Louanienſes. Nonnulli fertilem, & rubentem terram Auſtriam ſignificari volunt, eamque Danubio medio albicante ſectam Quidam colore rubido, & candido ſignificari aiunt belli, & pacis imperijs domum Auſtriacam illuſtrem eſſe. Hęc illi varie diſſerunt, quibus vt mantiſſam addam, & accuratius aliquid, ſi forte, afferam, de vmbone ante omnia mihi ſermo erit, quod is in cęterorum inſignibus, argumento tantum aream prębet, Albertus autem Imperator, ſi doctiſſimo Victorio fides eſt, vmbonem ipſum in inſignia ſua incluſit. Nec id nuperum, aut nouitium eſt, vt ſtemmata gentis in Clypeis excuderentur, cum apud Aeſchylum Hippomedon vir ſtrenuus, ſcutum ſuum ſpiris ſerpentum, ac voluminibus circum cinxerit, & in ipſa area Typhonem ore flammas exſpirantem expreſſerit, Etheoclus cataphractum militem ſcalis moenia inſcendentem in pelta ſua inciderit, Parthenopeus ſphingē parmę ſuę aſculpſerit, Polinices iuſtitiam fęminę ſpecie vmboni appinxerit. Virgilius de Meſſapo Herculis filio.

Clypeoque inſigne paternum,
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.

Romę certe ſuorum clypeos in ſacro vel publico priuatim dicare primus inſtituit Appius Claudius. Scutis enim qualibus apud Troiam pugnatum eſt continebantur imagines. Origo plena uirtutis, faciem reddi in ſcuto cuiuſque, qui fuerit uſus illo. Pœni ex auro factitauere, & Clypeos & imagines ſecum in caſtris tulere ait Plinius. Imperatoribus Romę aurei Clypei poſiti, in quibus eorum ſtemmata, & uultus excuderentur, Trebellius Clodio Imperatori Clypeum aureum Senatus iudicio poſitum eſſe ait, & Domitiano Clypeos aureos cum inſignibus dicatos Suetonius oſtendit. Exin & Clypei aurei qui ſignis militaribus adiuncti erant habebant gradatim protomas, & ora Cæſarū. Apud Heſiodum in Herculis Clypeo dracones ignem lingua uibrantes expreſſi erant, in Aegide Palladis, monſtrifica Gorgon. Adde quod nullum militaris uiris uiri ornamentum Clypeo commodius, aut munitus habitum eſt. Aiax ille Gręcorum fortiſſimus Clypei ſeptēplicis dominus fuit, Achilli, & Aeneę Vulcanus Clypeos impenetrabiles ſiculis fornacibus procudit, & uarijs imaginibus inſigniuit, Galli olim reliquo corpore inermi brachis nudis, & exertis, umbonum obtentu uim arcebant, & inferebant. Gręci ſuos

ba-

habuere peltaſtas, Romani triarios ſcutatós, Amazones lunatis peltis, Thraces parmis inſignes in bella iere. Quod autē area umbonis Auſtriaci rubens eſt, a ſanguine natum, quo uictoris arma perfuſa ſunt. ſed & Lacones in prœlijs Chlamydes ruſseas gerere ſoliti, Imperatores Romani paludamenta Coccina, ut ſanguinem uulneribus fluentem diſſimularent. Nullus color magis uibrans eſt, aut uehementius oculos ferit quam rutilus. Aeneę apud Virgilium

Ardet apex capiti, criſtiſque à vertice flamma
Funditur, & vaſtos vmbo vomit aureus ignes.

Gellius ſcribit igneum, flammeum, ſanguineum, croceum, aureum, rufum, quamquam aliter rubent, una tamen ruboris appellatione ſignificari. Seruius ait Robum colorem eſſe Deorum. Simulacra numinum, triumphantium, & Imperatorum miniata erant. De lecto geniali Thetidis Catullus,

Pulcinar vero Diuæ geniale locatur
Aedibus in medijs, indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchilis purpura fuco.

Hic color imperij, & poteſtatis ſemper argumento fuit; olim Cenſoribus toga è ſolida purpura contexta, ſolis Imperatoribus Chlamys dicata, quam ſi quis temere uſurparet capite luebat. Calcei regum Murrhanorum rubro tincti, Thecaſia deorum ruſſea, ſigillum imperatorium Romę purpura; Conſtantinopoli cinnabari inuſtum. Sed & bene ominatus ac fœlix hic color ſemper habitus eſt. Decantatus ille Atrei agnus uellere rubeo fuit, Aries Phrixi Colchicus, qui Graciam ad ſui rapinam commouerat, luteis ac croceis uillis erat, quo reſpexit poeta bis uerbis,

Et totam phrixi Iulia nebit ouem.

Spartianus ſcribit Diadumeno Macrini filio ouem purpureo uellere qua die ipſe natus eſt domi natam imperium portendiſſe, Naſcenti Getę Seueri filio purpureum ouum domi poſitum, imperij augurio fuiſſe ait Lampridius. Seuerus princeps agricolam occidit, in cuius ouili ouem coccino uellere natam deprehenderat. Virgilius aureum Saturni ſęculum Pollioni naſcenti præſagiens ac uouens, lanas ouium, naturę ſponte luteo uellere futuras, ubi uirum indurit, pollicetur.

Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.

Spon-

Sponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos

Iuppiter non modo miniato uultu, ſed & rubente dextra eſſe fingitur, canente poeta

Et rubente
Dextera ſacras iaculatus arces
Terruit vrbem.

Aegle Nympharum pulcherrima Sileno, ut eum ad cantum inuitet, os & uultum rubro inficit,

Sanguineis frontem moris, & tempora pinxit.

Cardinales noſtra ętate rubri galeri ornamento utuntur, qui illis Senatorum iure & honore a Conſtantino magno attributus eſt, ut indicat Beſſarion. Hyeroſolymis Epomis Summi Pontificis in qua fuit oraculum, ex purpura, byſſo, & coccino, intercurrente auro texta erat, ut ſcribit Philo libro de uita Moſis. in circo ruſſata factio primo loco habita, quam æſtati ſignificanda hoc colore fuiſſe teſtatur Corip. lib. 1.

Aeſtatis roſeus, rubra ſic veſte refulgens.
Vt nonnulla rubent ardenti murice poma.

Ipſę etiam librorum frontes minio, & croco expoliebantur.

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco,
Non eſt conueniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur

Bellulas & florentes puellarum genas color ille ueſtit,

Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur, uel miſta rubent ubi Lilia multa
Alba roſa, tales virgo dabat ore colores,
Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calę facta per oſſa cucurrit.

Apud philoſophum, cum adoleſcens rubore ſuffuſus eſſet, bono animo eſto, ait ille, uirtutis colorem induiſti. E calore rubor: ubi plus caloris eſt, ibi plus ruboris, & uita, quam ignem philoſophi eſſe aiunt,

Igneus eſt illis vigor, & celeſtis origo
Seminibus

Vitalia omnia rubicunda, cor, iecur, pulmones, vbi frigus ibi pallor. Iam uero albam faſciam qua media area dirimitur, quidni diadema eſſe dicas, quod regium ſemper inſigne fuit. Tacitus Euphratem albentibus ſpumis in modum diadematis ſinuare orbes ſcribit. Silius

Regnique inſigne vetuſti
Geſtat læua decus, cinguntur tempora vitta Albenti;

Plinius, Regibus apum in fronte macula eſt quodam diademate candicans: Suetonius ait ſtatua Cæſaris coronam lauream candida faſcia prælligatam ab Antonio impoſitam, vt regem deſtinaret. Omnino faſcia candicans ab initio imperium Auſtriacæ genti portendebat, quod longum in ea familia, quaſi adamantinis clauis affixũ manet, manebitque. Quid, quod faſcia & vitta integritatem, Sanctitatem, ac diuinitatem ſignificat? Nam & ſimulacra Deûm, & templa, & aræ, & victimæ, & Sacerdotes, & Virgines vittatæ, ac faſciatæ erant. Tacitus, ſpatium omne quod templo dicabatur euinctum vittis, coroniſque, Statius de pietate

Huc vittata comam, niueoque inſignis amictu

Virgilius, Cereriſque ſacerdos
Alphitus albenti velatus tempora vitta.

Item, Virgineas auſi diuæ contingere vittas:

Vt igitur Auſtriacæ familiæ religio, quæ ad immortalitatem & fas ſuperum pertinet, portenderetur, faſcia inſignibus addita? quid ſi non faſciam, ſed virgam, tranſuerſam eſſe dicas, quę poteſtatem & imperium ſignificat, & in ſacris litteris ipſi Chriſto attribuitur, de quo dictum, reges eos in virga ferrea? Virgam enim imperij argumento eſſe docet Florus, ipſe inquit, veſte purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita. Prudentius

Regnum per omne iuſsit,
Sociam tenere virgam.

Certe Conſulibus Romæ præibat vnus aliquis cum virga, qui domum in quam intraturi eſſent pulſaret. Statius,

Atriaque, & multa pulſantur limina virga

Martial. Nobilique virga
Vatis caſtaliam domum ſonare.

Equidem virgam illam eſſe crediderim, cuius meminit Virgilius de Mercurio,

Tum virgam capit, hac animas ille euocat orco
Pallentes, alia ſub triſtia tartara mittit;
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Hęc eſt virgula diuina, qua omnia nobis quæ ad victum cultumque pertinent, ſuppeditantur vt Tullius ait, quæ ex ſenibus

iuue-

iuuenes, ex inopibus diuites, ex deformibus ſpecioſos facit, quo Pallas Vlyßem ex retorrido, ac vieto ſene, vigentem robore iuuenem finxit. Ex ea enim domo in omnes elegantibus ingenijs homines tantum bonorum, iam olim profluxit, hodieque profluit, vt in ea virga virtutis ac eruditionis fatum ac vita eße videatur. Sed alio me ſegmentum illud vocat. Aio Carolum illum magnum virtute incomparabilem, à quo Lotharius & gens Auſtriaca orta eſt, cum Irene Imperatrice imperium terrarum ea lege diuiſiſſe, vt ipſe occidenti, illa orienti imperaret, & hanc lineam in media area duxiße, quaſi totius orbis imperium in duas partes dirimeret, & ſepem argenteam velut in limitibus prætenderet, vt ſua cuique ditio ſarta tecta eſſet. Quid ſi Auſtriacos dicas cum Turci Europæ imminerent, & occidentis imperio inhiarent, in ipſo vtriuſque imperij limite quaſi ſepem, aut potius vallum, & parietem duxiſſe, quem fidei hoſtes tranſſilire nulla vi armorum poſſent. Ita enim olim imperatores in finibus hoſtilis agri concędes, cluſuras, burgos, prętendere ſoliti erant, qui vim hoſtium infringerent. Ita Adrianus Auguſtus murum in Britannia per octogita millia paſſuū primus duxit, qui Romanos, Barbaroſque, diuideret, quæ poſtea Seuerus Princeps reſtituit, ait Beda, quemadmodum in Circo & Amphiteatro ne ferę in gradus & cuneos irrumperent, e podio trabes tranſuerſas, & ligna verſatilia in orbem diſponere ſoliti erant, quæ obiecta muro feras fallerent dum eniterentur Non temere aliquis lacteum illum baltheum eße putet candore ipſo notabilem, vbi felices animæ exuta mortalitate, ſi veteres philoſophi audiendi ſunt, ſempiternum cum Deo æuum agunt. quot hodie in eo quaſi quodam benignæ fortunæ ſinu præſtantibus ingenijs viri quieſcunt, & candidum lactis rorem ipſo Iunonis vbere fluentem ſine noxia ſugunt, quot afflicti ſubleuantur, inopes ditantur, miſeri ex ęrumnis emergunt, & calamitatē lætitia mutāt. Dixerit aliquis argenteam haſtam eſſe, quam Gilbertus ſibi ſumpſerit oraculo monitus quod Philippo Macedoni redditum eſt, vt argenteis haſtis pugnaret quibus nullum munimētum impenetrabile, Hac ille via Græciam antea inuictam ſub iugum miſit. Olim certe haſtæ pro ſceptris fuere, eædemque Deorū ſimulacris additæ religionis aliquid habuerunt. Sceptrum Agamenonis haſtæ nomine Cherronæi conſecrarunt. Cæneus ſuos per haſtum iurare docuit. Omnino rebus humanis melius conſulunt,

qui argento, quem qui ſanguine, & cæde bella profligant. Quid ſi, cum Rinaldo Curtio dicas, ſicut olim in Naufragio Vlyſſes a Leucothea maris Dea cingulum album accepit, quo tutus maris fluctibus enataret, & incolumis ſequentibus procellis eluctaretur, ita & Gilbertum Auſtriacum, a Sanctiſſima Virgine dei matre cingulum albicans accepiſſe, quo aſpera omnia peruaderet, difficilia perrumperet, periculis ſuperſſet. Addas nimirum illum cinguli candorem felicitatis omini eſſe, quemadmodum candida omnia felicia habita ſunt, nam & candidæ aues, candidi dies, albæ in iudicijs fabæ, auſpicatę fuere.

Catullus,

Fulſere nobis candidi quondam dies

Propertius, Date candida ciues

Omina, & inceptis dextera cantet auis.

Horatius, Creſſa ne careat pulcra dies nota

Sidonius,

Dies quem Clotho niueis coruſca penſis

Albus quem picei lapillus indi ſignet.

Plinius auctor eſt Thraces dies lætos albis, malos atris lapillis notare ſolitos, de iudicijs Ouidius

Mos erat antiquis niueis atriſque lapillis

His damnare reos illis exſoluere culpa.

An eundem Gilbertum ab eadem caſtiſſima Virgine militiæ armatæ & ciuilis cingulum accepiſſe dixeris, ut ſicuti olim magiſtratus omnes ciuiles & militares à Cæſare cingulum imperij ac poteſtatis inſigne accipiebant, ita & ille à Sanctiſſima Dei parente, vt militem eius ſe gereret, vtriuſque militię cingulum acceperit? ita enim Caſſiodorus ad Pſalm. 29. diſſerit. Cingulum ſignificat, quod ad iudicis pertinet dignitatem. nam cincta poteſtas in ipſo vocabulo noſcitur conſtituta. Sic enim cinctum dicimus iudicem, quando eius faſces, honoreſque declaramus, & paulus 1. ſententiarum, qui apud cinctos aut priuatos iudices fuerit; Et multi duces ac Tribuni reperti, qui cum Cæſarum militiam repudiarent, cingulum militare abiecerint. ita Valentinianus & Ionianus fidei Chriſtianæ ſtudio cingulum militiæ apud Iulianum deſertorem exuerunt. An cingulum pudicitię & caſtitatis ab eadem intemerata virgine Auſtriacæ genti attributum, quo ſupra reliquos mortales ea conſpicua eſt; Nam & in ſacris literis qui

qui caſtitatem colunt renibus præcinctis eſſe dicuntur: quæ vnquã familia, quæ gens caſtitate & pudicitia Auſtriacam gentem, nõ dicam exæquauit, ſe a longe ſecuta eſt? vbi pudicitia integrior, Sereniſſima Princeps, quam in te, vel in tua gente fando cognita eſt? Lucretiam hiſtoricę veteres laudant quę ſtuprum a Tarquinio paſſa crimen ſanguine lauit, felicius opinor cum illa actum eſſet, ſi prius quam vim pateretur iugulo ipſa ferrum excepiſſet. Te vero, Sereniſſima Princeps candidum pudicitiæ cingulum ambit quo lilia Narciſſi & albę roſæ candore & integritate ſuperantur. Non tibi viticis folia, quibus olim Athenis fęminę per Theſmophoria Cęreris ſacris uſę ſubſternenda ſunt, non plumbeę laminę renibus applicandę, quę frigus ac torporem iniiciant, cum ipſa tibi pudicitiæ cingulum admoueris, caſta mens, purus animus integer ſpiritus tibi abunde pro munimento ſunt; Murem aiunt Armenium lacte candidiorem, candoris ſui adeo ſtudioſum eſſe, vt limo latibuli eius foribus oppoſito potius prędę eſſe patiatur, quam luto niueum vellus inficiat. Ita & tanta eſt animi tui integritas, vt ei nulla macula adhereſcere poſſit, eamque vita cariorem habeas. Nec tibi interim ceſtus amoris deeſt, non Veneris illius Vulgiuagę ſed Iunonis, apud Homerum, quo illa Iouem ſuũ cingere ac deuincire fertur. Animi tui integritas, morum ſuauitas ſpecies imperio digna, liberi tui ad imperium nati, tibi ſunt pro ceſtu, quo Sereniſſimum Magnum Hetrurię Ducem Iouem tuum, ligas, vincis, & omni lętitia exples. Viue diu illa mente, Sereniſſima princeps, illo animi & corporis candore, & illud familię tuę decus tueri perge. Hæc ſunt quæ Sereniſſimę tuæ Celſitudini ineuntis annis auſpicijs de Sereniſſimæ tuę gentis inſignibus dicenda putaui, quęque vt hilari fronte accipias & munus ex animi mei ac ſtudij magnitudine metiaris vehementer etiam atque etiam rogo.

FINIS.

99 962586

Z
1161.17